Hatem Tai

Celebris Poëta Arabum.

Dissertatio Academica,

Quam

Consentiente Ampliss. Ord. Philos. Lundensi,

Præside

Mag. B. M. BOLMEER,

L. L. O. O. Professore Reg. et Ord.

Pro Laurea

modeste exhibet

Auctor

PETRUS E. OSEEN,

Smolandus.

In Academia Carolina die XVI Junii MDCCCXXXII.

Londini Gothorum MDCCCXXXII.

Typis BERLINGIANIS.

Viris plurimum reverendis

Mag. *JOH. L. WICKELGREN*,

Eloquentiæ et Poëseos Lectori atque Professori Celeberrimo.

Mag. *JOH. P. WICKELGREN*,

Ecclesiarum Annerstad, Nöttja et Torpa Pastori Vigilantissimo.

Mag. *JOS. WICKELGREN*,

Ecclesiarum Hoffmanstorp et Furuby Comministro Meritissimo.

Avunculis Optimis

Sacrum.

Poësis Arabum, non minus grandiori, ut conjicere fas est, ætate, quam indole et natura, ad altissima quæque tendenti neque ab aliis nationibus adscita, inter diversa litteraturæ arabicæ genera principem facile locum obtinet. Quousque autem in ultimam et oblitteratam recedat vetustatem, etiam viri ingeniosissimi, memoria monumentorum deficiente, negant se pro certo posse definire. Cel. Freytagius illam inde ab eo repetendam esse tempore contendit, ex quo ne obscurissimæ quidem de gente arabica fabulæ ad nos pervenerunt. Alii vero, ut Reiske, de Sacy & Chr. Th. Tychsen, primam ejus eandemque auream ætatem ad tempora paulo ante Mohammedem referendam existimant. Illam tamen perfectionis fastigium, ad quod omnia spectant hominum studia et meditamenta, maturius consecutam fuisse, non illud solum indicio est, quod poësis per totum illud tempus, quo litteratura hujus populi in diversa gradatim abiit genera, sola ingeniorum domina universam universi populi culturam temperavit, nullam aliam scientiam æmulam habens, sed etiam quod omnes illam, magna auctoritate fruentem, præcipuo amore complectebantur. Non nisi tria apud Arabes ad famam et nominis celebritatem stadia proposita erant. Nihil enim habuerunt antiquitus, quo gloriarentur, præter gladium, hospitalitatem et poësin. Hæc vero præ ceteris excelluit. Ut enim quisque carminis gloria maxime eminuit, ita laudem præsentis ævi & memoriam posteritatis facillime conseqvi putabatur. Principes itaque heroesque singulari in poësi præstandi studio arserunt, nec quisquam gloriam heroe dignam se peperisse credidit, nisi cui palmam triumphalem cum lauro poëtica conjungere contigisset. Tribus, in

qua poëta illustrior exstitit, a finitimis salutabatur, quæ tympana pulsantes ei de novo suæ in futurum virtutis præcone & interprete gratulaturæ venerunt. Patet itaque, hac cum poësis valeret auctoritate, magnam vim illam non in singulorum modo animos sed in universum etiam populum ejusque vivendi sentiendique normam exseruisse; quod quæ probent, multa sunt argumenta, ex quibus unum a Freytagio petitum afferre libet *).

Mohallek, nescio quis, Meccæ in magna rerum penuria vixit ac plures habuit filias. Cui quidam amicorum vel, ut ab aliis proditum est, ipsa mater illud fertur dedisse consilium, ut, quo rebus suis melius consuleret, benigno reciperet hospitio poëtam Ahscham, qui nundinas Ohkatsi institutas frequentare solebat. Hanc enim in urbem quotannis confluxere tribus non solum commerciorum caussa, sed quasi ad Olympiam quandam, ubi per mensem integrum congregati poëtæ carminibus recitandis alii alios gloriabundi provocarunt. Mohallekio, qui datum consilium secuturum se constituerat, cum poëta cibo potuque large recreato de suo rerum statu et iniqua filiarum, quippe quæ, omni dote destitutæ, vix se ambiendi cupidum invenirent, sorte colloqui tandem contigit. Omnem vero his honeste consulendi curam suscepturum se poëta facile promisit. Postero igitur die in foro Ohkatsiensi hospitalitatem Mohallekii filiarumque virtutes usque eo versibus celebravit, ut omnes, qui aderant, mirifica voluptate abriperentur. Hinc etiam factum est, ut post laudationem vix finitam principes tribuum veniam filias in matrimonium ducendi expeterent.

Concedendum quidem, apud Arabes posterioris ævi poësin non tantam fascinandi vim habuisse; sed non amplius ex fonte tam limpido fluxit, quam ex quo juvenili vigore pollentes nec ullo sæculorum vitio tacti Arabes illam derivatam habuere. Hi enim donum illud divinitus delatum non ad ullam privatis in rebus sordidam contentionem adhibuerunt, sed eo tantum consilio cecinere, ut, quæ

---

*) Darstellung der Arabischen Verskunst von G. W. Freytag. pag. 375.

in vita sancta essent et honesta, animos mortalium in sui amorem et admirationem raperent. Quam etiam ob caussam poëmata illorum faciem vere equestris ævi referunt; versantur præcipue in virtutibus gentis celebrandis, fortitudine, honestate, liberalitate, hospitalitate, quibuscum studium sexus pulchrioris, utpote primo loco ponendum, arctissimo vinculo cohæret.

Quam quidem antiquissimæ poëseos arabicæ præstantiam reputanti id motum mihi est desiderium, ut, specimen pro gradu editurus, hominibus nostris clarum quendam ex ejus, quod dixi, ævi Arabum poëtis celebrarem, et in linguam vernaculam aliquod minorum ejus poëmatum transferrem, quod quidem modo jam descripto compositum eo spectat, ut ex virtutibus primariis nominatis unam laudibus efferat nobisque in laudatissimæ gentis vitam moresque altius introspiciendi occasionem præbeat. Quod quo melius perficerem, consuluisse me non negem *Bibliotheque Orientale par M. D'Herbelot* et *Allgemeine Encyclopedie*, in qua de poëta nostro historiolam nostrique poëmatis interpretationem ab A. G. Hoffman propositam invenimus. Dolendum, quod in Academiæ hujus Bibliotheca non exstant Abulfedæ Annales Muslemici, annotationibus historicis a Reiske illustrati, inter quas poëma hocce latine redditum, quod idem magnopere laudat dignumque dicit *non tantum auctore suo sed bono quovis viro*, relatum voluit. Textu usus sum, quem Rosenmüller in *Arabisches Elementar- und Lesebuch* typis exscribendum curavit.

Hatem Tai sive *Hatem Taji* حــاتم طايي appellatus quoque est *Abu Soffana* أبو سفانة et sucundum d'Herbelot *Abu Adi* أبو عدي. Sollenne enim erat Arabibus homines cognominibus potius a parentum vel liberorum nomine compositis, quam nominibus propriis appellare. Verum, quod Hatem gessit, nomen fuit *Hatem ben Abdalla, ben Saad, ben Heschradsch ElTai.* Quod heic additur nomen gentilitium designat familiam, ex qua oriundus erat et unde certæ cuidam Arabiæ regioni nomen inditum, ubi sepulchrum ejus cum cultu quodam religioso adhuc adeunt conterranei. Eadem, qua Mohammedes, ætate vixit natu major; Islamum vero non am-

plexus est, quoniam jam octavo post prophetam natum anno vitæ finem attigit. At filius ejus Adi ad sacra mohammedana anno septimo hegiræ transiit, atque in numerum eorum, qui Mohammedis صحابة h. e. socii seu æquales vocati sunt, refertur. Hatem Tayensis in omni vita tam venustum arabici ingenii exemplum exhibuit, ut id potius ad effigiem quam veritatem expressum putares. In chrestomathia Rosenmülleri jamjam citata, a Meidani docto quodam arabico, qui quidem medio sæculo duodecimo vixit, hoc modo describitur: Liberalis fuit, fortis, poëta, heros; a pugna superior semper discessit, prædam captam in alios distribuit, quidquid petitum dedit, bello captos libertate donavit et fortunatus ipse aliis de re familiari libens impertiit. Benignitatis liberalitatisque eo processit, ut hoc in genere nomen ejus in proverbii consuetudinem abiret, vel ut, quemadmodum d'Herbelot præclare dicit, in hac virtute nomen quasi deperderet; hoc enim perpetuam insignioris cujuscumque beneficentiæ designandæ vim obtinuit, adeo ut, cum insignem liberalitate virum denotatum vellent, is æque bonus et liberalis atque Hatem Tai diceretur, et si quis omnem in benefaciendo modum excederet, Hatemo, nec tamen oblivioni tradito, liberalior (اجود من حاتم) ferretur. Cujus filius Adi similiter animo affectus eandem ob caussam glorioso cognomine *liberalis, filius liberalis* appellatus est. Ab oblivione hominum variis scriptis vindicata sunt plura liberalitatis Hatemi exempla. Quorum inter clariora, quemadmodum legationem ab Imperatore Græcorum acceperit, affertur. Missus erat legatus liberalem ejus animum spectaturus, domino suo ab Hatemo equum pretiosissimum efflagitando; Hatem vero consilium legationis nondum expertus, itinere, quod rus ducebat, intercluso aliarumque rerum inopia equum suum, ut convivam necopinato venientem laute acciperet, mactandum atque conquisitissimas inde epulas præparandas curaverat. Alia narratio fortasse non nisi alio modo colorata, quæ quidem in *Bibliotheca Universali* sive *Encyclopædia* a Nuveiri edita exstat, Hatemum inopiæ, quam male proveniente annona perpeti cogebatur, levandæ gratia, ne equo quidem pepercisse docet. Nocte quadam vagitu liberorum fame pressorum, quibus tamen blandis verbis somnus iterum inductus est, una cum conjuge Novara excitabatur. Citatim mane

surrexit, quæ ad vivendum necessaria erant, suis sine dubio paraturus; at in vicinia tentorii miseram quandam animadvertit feminam, quæ, choro liberorum stipata, hospitalitatem ejus imploravit. Cui petenti confestim gratum fecit et cum, mactato equo, convivas saturasset, tum demum uxori: liberos, inquit, excita, ut edamus. Inter alios hic quoque fuit Arabibus hospitalitatis mos, ut ignibus in fastigiis collium locisque conspicuis accensis hospites invitarent et accedentibus viæ indicia præberent. Quanto major erat ignis ille et in loco eminentiori positus, tanto gloriosius et animi liberalioris signum habebatur. In hoc item genere Hatem excelluit. Cum frigus esset, ignes, ut idem narrat Nuveiri, in collibus accendi jussit, ut viator, qui recta forte via aberrasset, tectum atque hospitium apud ipsum inveniret. Qua in commendanda hospitalitate sensus quoque cernitur poëticus, cum verba, quæ apud Rosenmüllerum etiam illata sunt, ita habent:

Ignem accende, certe enim nox frigida
Ventusque, puer qui accendis, acer.
Flammam forsitan errans viderit:
Liber esto, si convivam attuleris.

Ultimo tandem loco addunt d'Herbelot aliique, quadraginta eum camelos sæpius mactasse, vicinos Arabesque pauperes et deserti incolas liberaliter tractaturum.

Ita autem evitari non potuit, quin facultates Hatemi sensim extenuarentur et tandem evanescerent. Filia illius, de qua diximus, Soffana tantam quoque inopiam experiebatur, ut illam apud Mohammedem conqueri cogeretur. Iam vero multo ante vivum Hatemum uxor illius adhortata erat, ut modum effusæ benignitati constitueret; hac autem voce impulsus, ille non minus elegans beneficentiæ hospitalitatisque defensor et propugnator quam indefessus cultor, poëticam animi incitationem, cujus laude floruit, ad vindicandam suam benefaciendi propensionem contulit. Quo consilio sequens poëma uxori dicavit.

قَالَ
حَاتِمُ ٱلطَّائِي

أَمَاوِيَّ إِنَّ ٱلْمَالَ غَادٍ وَرَائِحٌ

وَيَبْقَى مِنَ ٱلْمَالِ ٱلْأَحَادِيثُ وَٱلذِّكْرُ

أَمَاوِيَّ مَا يُغْنِي ٱلثَّرَاءُ عَنِ ٱلْفَتَى

إِنْ حَسَرَتْ يَوْمًا وَضَاقَ بِهَا ٱلصَّدْرُ

أَمَاوِيَّ إِنْ يُصْبِحْ صَدَايَ بِقَفْرَةٍ

مِنَ ٱلْأَرْضِ لَا مَآءَ لَدَيَّ وَلَا خَمْرُ

تَرَيْ أَنَّ مَا أَهْلَكْتُ لَمْ يَكُ ضَرَّنِي

وَأَنَّ يَدِي مِمَّا بَخِلْتُ بِهِ صَفْرُ

وَقَدْ عَلِمَ ٱلْأَقْوَامُ لَوْ أَنَّ حَاتِمًا

أَرَادَ ثَرَاءَ ٱلْمَالِ كَانَ لَهُ وَفْرُ

فَإِنِّي لَمْ آلُو بِمَا لِي صَنِيعَةً

فَأَوَّلُهُ زَادٌ وَآخِرُهُ ذُخْرُ

غَنِينَا زَمَانًا بِٱلتَّصَعْلُكِ وَٱلْغِنَى

وَكُلًّا سَقَانَاهُ بِكَأْسَيْهِمَا ٱلدَّهْرُ

فَمَا زَادَنَا بَغْيًا عَلَى ذِي قَرَابَةٍ

غِنَانَا وَلَا أَزْرَى بِأَحْسَابِنَا ٱلْفَقْرُ

وَمَا ضَرَّ جَارًا يَا بِنْتَ ٱلْعَمِّ فَٱعْلَمِي

يُجَاوِرُنِي أَلَّا يَكُونَ لَهُ سِتْرُ

بِعَيْنَيَّ عَنْ جَارَاتِ قَوْمِي غَفْلَةٌ

وَفِي ٱلسَّمْعِ مِنِّي عَنْ حَدِيثِهِمْ وَقْرُ

Ja, med morgonsolen rikdom kommer och med qvällsol går;
vissare än alla skatter, namn och rykte blifva dock.
O Mavijja, icke båta mannen skatter mer den stund,
när med krossadt hjerta makan gråter makens sista dag.

O Mavijja, när i dödens öken ufven ropar hemskt,
som ett eko än ur grafven, hvarest ingen källa mer,
ingen ranka fins; så då ej skadar mig hvad jag förslöst,
och hur noga jag än sparat, ligger jag dock tomhänd der.

Hade Hatem önskat rikdom, så det känner allt hans folk,
eller öfverflöd, för honom varit nog att önska blott.
Men till allt, hvad Hatem hade, gifmildheten nyckeln bar;
gifva var alltså mitt första, samla blir mitt sista mål.

Brist och öfverflöd till skiftes är vår del; ja tro mig det,
Lyckan än den ena än den andra bägarn skänker i.
Men dess gunst oss lika litet gifver rätt till öfvermod
emot andra, som behofvet sätter menskovärdet ned.

Ja, du vet Mavijja. Kommer vandraren förlägen om
tak för natten, söke han det under mitt och hvile trygg!
Så förlåt! Mitt öga *slösar* på de sköna ej sin blick,
och mitt öra aldrig lyssnat än till deras fagra ord.

Hoc quæ illustrent poëma, intellectu et perceptu haud difficile, notis certe quidem non opus est. De duabus tantum rebus, præeunte Rosenmüllero, pauca quædam addenda putavi.

Primum itaque circa nomen uxoris Hatemi, quæ quidem supra Novara, in poëmate vero Mavijja vocatur, observare liceat, hanc discrepantiam variis modis tolli posse. Fieri enim potuit, ut Hatem duas aut separatim aut simul uxores haberet, vel etiam ut uxor ejus non unum tantummodo nomen gereret. Talis præterea variatio in traditionibus orientalibus haud raro offenditur.

Quod deinde observatum volui, vocabulum صدي præcipue spectat. Erant ex Arabibus ante Mohammedem qui crederent, cum quis occideretur vel moreretur, e sanguine circa cerebrum collecto oriri avem buboni similem هامة dictam, quæ sepulcrum mortui circumvolitaret. Cui quidem avi fabulæ raucam et cavam addunt vocem, qua occisi adhuc inultæ necis poenas poscit. Vox hujus avis صدي vocatur, quod quidem vocabulum echo etiam et quemcumque denique fuscum et tristem designat sonum. Adhibetur quoque a Philologis arabicis ad ipsum corpus mortuum significandum. Neque tamen hoc ad ejusmodi interpretationem nos heic inducat; ita enim, quod in hac sententia poëtæ proprium est, plane evanescit. Sensus hic est: cum quando vox mea exilis e sepulchro in vacuum fertur et quasi emoritur, h. e. cum in sepulchrum descendero. Utramque vocabuli صدي significationem cum sententia versui subjecta in versione conjungere studui.